

tationem, secundum genium illius seculi in quo vixit, Errore; nec firmiter illud, quod petit ex Conditione actuum, qui attribuntur Conscientiæ, ex quibus remordere pertineat ad voluntatem, ut & instigare, quæ omnia assumuntur voluntariè, non probantur. Secundò distinguunt superiorem & inferiorem animæ partem, tum ex ratione Subiecti, ut Pars Superior sit Ratio, Memoria vel Voluntas: Inferior sit Imaginatio & Appetitus sensitivus; tum ex ratione Obiecti, per diversas Regulas ac motiva humanarum actionum: quorum Membrorum posterius non multum hic attendi debet. Tertiò variant in Quæstione: *Ad quem Habitum reducenda sit Conscientia?* quidam enim, ut Suarez, Vasquez, Granadus & alii, secuti Thomam, existimant, non pertinere ad unum habitum, sed ad varios pro varietate suâ: itaque, secundum Bresserum, si versetur circa Materiam fidei, spectabit ad fidem à qua procedit, si circa Materiam principiorum moralium absque discursu, spectabit ad Synteresin: si circa Materiam Theologicam, Ethicam vel Juridicam per discursum, ad Theologiam, Philosophiam moralem, vel Jurisprudentiam; alii verò censent cum Johanne à S. Thoma Dictamen Conscientiæ rectæ, & etiam erroneæ, quando Error est invincibilis & inculpabilis, pertinere ad prudentiam acquisitam, vel infusam, quia ad prudentiam spectet dictare singularia opera bona esse faciendâ, & mala esse omittendâ: Judicium verò Conscientiæ prava ad habitum Imprudentiæ pertinere. Unde Bardus pag. 34. 35. & seq. *Habitus prudentiæ immediatè concurrat ad conscientiam actualem rectam, sive talis concursus sit per habitum prudentiæ, specialiter & pressè acceptæ, sive per habitum ipsi prudentiæ annexum, eique subordinatum; pro qua re supponendum est ex Aristotelis doctrina communiter recepta lib. 6. Eth. cap. 5. Prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, esse habitum cum recta ratione activum, circa ea, quæ & bona & mala sunt homini: Actus autem prudentiales sunt tres, ut docet S. Thom. ex Aristot. p. 2. quæst. 17. art. 6. & 22. quæst. 46. art. 7. nempe inquirere, seu consiliari, judicare, & precipere: iste verò ultimus est precipuus reliquis, utpote proximus fini, nempe operationi: ad hos actus dantur habitus, ad primum Eubulia, ad secundum Syntesis, quæ est judicativa per rationes communes, & ordinarias; si autem per extraordinarias datur nomen, ad ultimum actum datur prudentia, specialiter & strictè sumpta. Controversia autem est inter Doctores: an prædicti habitus inter se sint distincti realiter nec ne? & aliqui affirmant: aliqui verò negant; sed quid-*